



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

Caput IV. De his quae Missae celebrationem proximè antecedunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

S. V.

Aliæ considerationes ad pios affectus in celebrante excitandos,

VIxi fieri poterit, ut non attentè, devotè, & reverenter celebres, quisquis es Christi Sacerdos, si fide vivâ hanc veritatem perceperis, & intimo sensu apprehenderis, te ipsum Christum offerre, unigenitum Dei Filium, Salvatorem & Judicem tuum. Sed huic veritati magnum momentum ex hoc accedit, quod perfectiorem Christi humanitatem nunc in Missâ Deo offers, quàm ipse obtulerit in ultima Cæna. Nam primò Christus mortalem obtulit, tu immortalem: ille passibilem, tu impassibilem. Secundò nunc eadem offertur cum plenâ pro nobis satisfactione, omnia siquidem ipsius merita ejusdem morte completa sunt. Tertio quia humanitas Christi, etsi à principio sanctificata fuit in unione hypostatica, cum tamen in Passione oblata est Deo, novam acquisivit sanctificationem, ut Hostia scilicet tunc actualiter exhibita, & nunc offertur in Missâ hæc novâ sanctificatione exornata. Adde quod Christus mirabili modo in Sacramento existit quàm in Cælo. Totum enim ejus corpus in totis speciebus est, & totum in qualibet minima earum parte; sine quantitate coextensa ad locum; ita ut ejus præsentia ne quidem à supremis spiritibus per principia naturalia naturaliter videri possit. Sunt & alia innumera mirabilia, quæ satius est venerari quàm enarrare. Nam ut reliqua prætermittam, quis dignè poterit explicare, vel saltem animo concipere, quam magnum beneficium sit, quod, mediante hoc Sacrificio, Cælum in terris quâdam anticipatione possident homines; dum ante oculos habent, manibusque contrectant ipsum Cæli & terræ conditorem? Hoc sedulo contemplare & erubescere, quod adeò tepidè, & irreverenter hæc tremenda mysteria audeas celebrare.

Extende cogitationem tuam per universum mundum, quàm malè ubiquè Deo serviant homines, quot peccata committant: quàm pauci sint Religiosi, qui perfectioni sedulo incumbant: quàm multi qui in rebus vanis & otiosis jugiter occupati vix unquam de Deo cogitant & loquuntur. Ideò tactus dolore cordis intrinsicus, ardorem & affectum vehementissimum in te excita erga Dominum Deum, quem pleri-

que mortalium vel non agnoscunt, vel spernunt: tum Sacrificium ea devotione offerre satagas, ut Dominus, si fieri possit, ejus suavitate, quam habet etiam ex opere operantis, quoddammodo recreatus, eorum omnium obliviscatur, quæ contra sanctissimam ipsius voluntatem ab hominibus perpetrantur. Ex altera verò parte in Cælum animo ascende, & considera, quanto fervore Cælites universi Deum ament, & quàm suavi harmoniâ ipsius laudes uno ore decantent. Junge te illis, & similes elice amoris ac laudum affectus: sed cave, ne vocis tuæ ac morum cacophoniam Beatorum dulcissimè concinentium concentum perturbes.

Cùm hoc Sacrificium Christi passionem & mortem repræsentet, veluti quædam imago & actio tragica est, non verbalis, quales sunt Poëtarum Tragediæ, sed realis & substantialis, exprimens incurrentè Passionem illam & mortem cruentam, ex qua omnia bona tua & aliorum, omnesquæ thesauri divinæ gratiæ profluxerunt. Solerter itaque adverte, quàm fervidâ devotione tanti boni repræsentatio à te fieri debeat. Sunt spectatores hujus Tragediæ S. S. Trinitas, Humanitas Christi in Cælo, Angeli, & Animæ beatæ: cave ne quid ineptum vel indecens in te appareat, quod Dei ac Cælestium Civium purissimos oculos possit offendere. Id verò assequeris, si perpetuam in te ipso corporis afflictionem, & passionum mortificationem expresseris, vivamquæ memoriam in te conservaveris acerbissimorum Christi cruciatuum, quos hoc Sacrificio commemoras & repræsentas; & eosdem aliis proposueris morum ac vitæ severitate.

CAPUT IV.

De his quæ Missæ celebrationem proximè antecedunt.

S. I.

De necessitate Præparationis.

Ante orationem, ait Sapiens, præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Quod si Deum tentare atque ad iracundiam provocare dicitur, qui ipsum audent in oratione interpellare, non præmissâ diligenti & accuratâ præparatione, quàm magis eundem suâ temeritate & audaciâ irritabit, qui Unigenitum

nitum suum illi offerre, ipsumque suscipere im-
paratus præsumet? Et si Rex aut Princeps ma-
gnæ potentia tibi, ô Sacerdos, significasset, ut
illi hospitium crastina die parares, quantâ soli-
titudine expurgare domum & ornare fatige-
res, totam etiam noctem ducens insomnem,
ne quid ille veniens in compositum & indecorum
reperiret? Nunc verò Rex regum, & Domi-
nus dominantium mandat tibi per Prophetam
dicens, *Præparare Israël in occursum Dei tui, quia*
ecce ego veniam, & manebo in medio tui. Vi-
de ergò & considera, quantâ diligentia thalami
tui tergere sordes debeas, quali apparatu ipsum
ornare, quo dignus fias à tanto hospite visi-
tari. Talem se Deus exhibebit animæ tuæ,
qualem se illa præparaverit ei: quantumque tu
apposueris ad diligentiam, tantum ille adjiciet
ad gratiam. Vetus parœmia est, *Adoraturi se-*
deant, quâ paratum purgatumque animum ad
Deum afferre monemur. Quidam etiam Ethni-
cus ait; *Dimidium facti, qui bene cepit, habet:*
in singulis enim actionibus id imprimis curan-
dum est, ut rectè ordiamur. Omnium autem opti-
ma præparatio, & magis necessaria illa est, quæ
in puritate & sanctitate vitæ consistit; cum
quidquid agis, quidquid cogitas, quidquid mo-
liris, ad hunc scopum refers, ut vias vitæ divi-
næ, teque dignum reddas hoc cælesti convi-
vio. Sicut enim fructus frequentis celebrationis
in hoc præcipuè attenditur, ut quotidie crescas
in humilitate, patientia, mundi contemptu, &
charitate: ita vera præparatio in hoc fita est, ut
quotidie aliquid vitii deponas, aliquid virtutis
acquiras, donec possis cum Apostolo dicere:
Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.
Et illis quidem, qui Deo jugiter adhaerentes
mentem habent rebus divinis exercitatum, non
erit difficile sanctioris vitæ incremento se ad di-
gnè celebrandum rectè disponere: aliis verò,
quorum major numerus est, qui minus idonei
sunt ad animum sursum erigendum, varia San-
cti Patres documenta præscribunt, quibus ad-
juti ad Deum accedant tali curâ, & dispositione,
quæ tanto mysterio digna sit. Quædam ex his
jam supra à nobis tradita sunt: alia infra expli-
cabuntur.

§. II.

De præmittenda confessione Sacramentali.

Formidabilis est, & non sine horrore audien-
da Apostoli comminatio dicentis; *Quicum-*

que manducaverit panem hunc, vel biberit cali-
cem Domini indignè, reus erit corporis & san-
guinis Domini. Quare celebrare volenti revo-
candum est in memoriam ejusdem præceptum,
Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,
& de calice bibat; qui enim manducat & bibit in-
dignè, judicium sibi manducat & bibit. Et qui-
dem probatio omninò necessaria est, ut nullus
sibi conscius mortiferæ labis ad sacrificandum
præsumat accedere non præmissâ sacramentali
confessione, quantumvis sibi contritus videat-
ur; alioquin Panem vitæ in mortem & conde-
mationem accipiet. Ut verò ex hoc divino
convivio, quod sanctis animabus inexplicabiles
præbet delicias, mens abundantius reficiatur,
non solum à mortalibus, sed etiam à venialibus
culpis, & ab omni terreno affectu eam expur-
gare oportet, & puram ac vacuum Deo exhibere
gratiæ suæ donis implendam, & exornandam.
Hac de causa boni Sacerdotes, quos te imitari
par est, vel quotidie, vel alternis diebus, vel
bis saltem in hebdomada animo verè contrito
ad confessionem solent accedere, omnesque ma-
lorum radices evellere conantur, atque omnem
vel levissimam maculam abstergere. Quod si ni-
hil Sacramento poenitentia expiandum occur-
rat, intentum nihilominus contritionis actum
de totius vitæ delictis elicere non omittes,
quia cor contritum & humiliatum Deus non
despiciet.

In ipsa autem confessione vitanda prolixitas,
& nimia diligentia in levioribus culpis recensenden-
dis: satius enim est intimè de iis dolere, & per
devotam cordis ad Deum conversionem eas ex-
piare, quàm in iis ad instar historiae sine propo-
sito emendationis, sicut ut plurimum contingit,
enarrandis immorari. An verò expediat quoti-
dianas imperfectiones in confessione explicare,
ut status poenitentis notior sit Confessario, non
est una Magistrorum spiritualium sententia; tu-
tior tamen & communior est oportere eas extra
Sacramentum manifestare. Cavendus item mul-
torum error, qui se prolixè de iis accusant, quæ
peccata non sunt, ut de pravis habitibus, &
passionibus, & de circumstantiis impertinenti-
bus; quod sint superbi, iracundi, & proni ad
malum; quod Deum non amaverint ex tota
cordis intentione, & alia ejusdem generis multa,
de quibus & aliis ad confessionem pertinentibus
suadeo ut omninò legatur tractatus S. Bonaven-
turæ de modo confitendi, & puritate con-
scientiæ. Confessionis autem duplex præparatio

præmittenda, remota & proxima. Remota in hoc consistit, ut per vigilem cordis custodiam, profundam tui cognitionem & exactam discussionem, eam comparare studeas conscientiae tenebrositatem & puritatem, quæ commissos defectus statim sentiat, & fideliter memoriæ suggerat. Deinde assuesces actum contritionis frequentare, & quotidianum examen sic instituere, ac sic statim confiteri deberes. Proxima aliquot actus complectitur: nam primò gratiam efficacem petere debes omnia peccata agnoscendi, detestandi, & emendandi: tum in memoriam revocanda quæcunque ab ultima confessione commissa sunt: Demum de singulis actum doloris elicies cum firmo constantique proposito ab his deinceps abstinendi, & satisfaciendi. Quod si peccata leviora sint, quia omnia corrigere propter humanam fragilitatem difficile est, propones saltem & conaberis, quoties ad confessionem accedis, aliquid ex eis deponere, in quod frequentius labi soles.

§. III.

Modus confitendi.

Quandoquidem hujus Sacramenti pars essentialis, eaque præcipua est dolor & contritio ob admittam facinora, huic maximè insistes, præmissâ brevi consideratione alicujus motivi ejusdem contritionis, qualia hæc sunt: 1. Gravitas peccatorum, quibus offenditur Deus, cujus bonitas infinita nec levissimè quidem lædenda foret, etiam ob salutem totius mundi. 2. Atrocissima damna, quæ tam in ista, quam in altera vita ex peccato oriuntur. 3. Inscrutabilitas judiciorum Dei sæpè ingratos deserentis, & tepidos evomentis. 4. Brevitas & incertitudo temporis gratiæ, quo potest offensa Dei expiari. 5. Memoria æternitatis, ejusque interminabilis durationis. 6. Inæstimabilis dignatio Dei, qui tanta passus est, ut te à peccatis liberaret. 7. Magnitudo beneficiorum tibi à Domino collatorum, pro quibus turpissimum est non te gratum benè vivendo exhibere. 8. Sublimitas æterni præmii, & facilitas mediorem ad illud acquirendum. 9. Infinita amabilitas Dei infinito obsequio propter se dignissimi, quia ipse est summum bonum, qui te amore incomprehensibili prosequitur.

Hæc motiva si attentè consideraveris, facile poteris summam in te contritionem excitare. Sic

autem dispositus ad pedes Confessarii accedes, quasi ad lavacrum sanguinis Jesu Christi, in quo te ab omnibus inquinamentis tuis dealbandum fore confides. Duos ibi Sacerdotes adesse putabis, visibilem unum, alterum invisibilem, qui penetralia cordis intuetur. Ideò humillimè quasi filius prodigus respiciens benedictionem petes, & gratiam benè confitendi, præmissâque generali confessione actum contritionis renovabis. Tum magnâ interiori & exteriori reverentiâ, quanta Judici solet à reo exhiberi, peccata tua Sacerdoti, qui Christum Judicem repræsentat, confiteberis nudè, sincerè, humiliter, non ex habitu & consuetudine, plorans coram Deo flagitia tua cum rubore & confusione. Dum verò Sacerdos profert verba Absolutionis, iterum actum contritionis elicies, teque à Christo ceu filium prodigum osculo excipi, novâ stolâ ornari, amplexu constringi putabis, additis ab eodem illis verbis, *Remissa sum tibi peccata tua, jam amplius noli peccare.* Quare gratias ei ages dicens cum Propheta: *Nunc cæpi,* & incipies ab illa hora vitam sanctius instituere.

Post confessionem id quod impositum tibi fuerit pro satisfactione statim perolves, Deoque offeres in unione passionis Christi, & satisfactionem omnium Sanctorum. Deinde examinaabis an vera fuerit contritio elicitâ, an intima cordis penetraverit, an diligentem discussionem præmiseris, an culparum gravitatem agnoscas, an aliquid prætermiseris, an tibi ex ignavia ignoscas, an teipsum arguas, & ad seriò penitendum impellas.

§. IV.

Oratio ante Confessionem, & actus contritionis.

Ad te, piissime Jesu, refugium meum & consolatio mea, ad te moerens & tristis venio recogitans tibi annos meos & delicta mea in amaritudine animæ meæ. Ad te verba doloris effundo misericordiam tuam implorans, ut facias opus tuum, quod est misereri & parcere, tollens peccata mea, quæ sunt maxima miseria mea. Nec despicias voces & singultus ovis perditæ & filii prodigi ad tuam pietatem redeuntis de regione longinqua, non enim lætaris in perditione morientium, qui ut ego non morerer, mortem subire dignatus es. Vermis terræ retribuit tibi mala pro bonis; & heu quot mala & quàm gravia pec-

peccata pro tantis & tam eximiis bonis. Et tamen loqueris ad Sponsam tuam prævaricatricem animam meam, postquam fornicata est cum amatoribus multis, ut revertatur ad te, & suscipies eam, quia misericordia tua super omnia opera tua; & major est bonitas tua, quam iniquitas mea. Surgo igitur, & venio ad te corde contrito & humiliato; venio ut laver, ô fons æternæ vitæ, ad quem sitio sicut Cervus ad fontes aquarum; venio ut illuminer, ô lux mea, & amem te, & confitear adversum me in justitiam meam. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, & illumina mentem meam, ut omnia mala mea, quæ commisi, & bona quæ omisi distinctè cognoscam, & integrè confitear; nec me permittas computrescere in sordibus meis, tu qui omnium misereris, & nihil odisti eorum quæ fecisti. Fac me assueta mala relinquere, & tibi placitis operibus occupari, ut ubi abundavit delictum, tua gratia superabundet: & sicut fuit sensus meus ut errarem à te, decies tantum iterum conversus requiram te. Doleo benignissime Jesu, de omnibus & singulis peccatis meis; eaque detestor super omnia mala, non solum arido & imperfecto corde meo, sed corde etiam & affectu omnium verè penitentium, ex gratuito tui amore, quia Deus es infinito amore dignissimus, firmiterque propono quælibet potius subire mala, quam iterum peccato consentire. Exactissime item confiteri volo, tibi quæ & proximo integrè satisfacere, atque omnes peccandi occasiones deinceps evitare. Quidquid verò mihi deest, suppleat mors tua; sanguis tuus, & superabundantia merita tua, quibus fretus veniam obtinere spero, & gratiam mores meos corrigendi, & in bono ulque ad finem perseverandi. Et nunc, Domine, qui dedisti mihi cognoscere flagitia mea, perfice contritionem meam, & perduc ad finem satisfactionem meam. Ure me igne amoris tui, & separa à me quidquid displicet Majestati tuæ. Purifica omne quod tibi placet in me, ut in te vivam non in me; & in te moriar ac propter te, Salvator meus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

§. V.

Oratio post Confessionem.

Gratias ago tibi Domine Pater & dux vitæ meæ, quia non secundum peccata mea fecisti mihi, sed superexaltasti misericordiam iudicio, & projecisti in profundum maris omnia delicta mea. Atque utinam possem tantam in me contritionem excitare, quantam habuerunt pro peccatis suis Sanctus Propheta David vir secundum cor tuum, S. Petrus Princeps Apostolorum, ac reliqui poenitentes: quàm libenter totus in lacrymas distulerem, donec lavarentur iniquitates meæ, & ostenderes mihi placatum vultum tuum! Sed facta est anima mea sicut terra sine aqua tibi; & aruit sicut testa virtus mea: cumque omni virtute destitutus sim, hoc solum habeo residui, ut oculos meos extollam ad Redemptorem meum, ejusdem lacrymas offeram tibi, quas ille pro me uberrimè effudit, ut iis placatus aperias mihi januas misericordiæ tuæ, & suscipias me servum fugitivum venientem ad te, & ab inimicis fugientem. Respice in me, & miserere mei, Domine patiens & misericors, loquere ad petram cordis mei, & percutite virgâ virtutis tuæ, ut fluant aquæ compunctionis, aquæ salutares, quibus sanabitur & dealbabitur anima mea. Confirma hoc quod operatus es in me, tibi quæ grata & accepta sit confessio mea, atque omnem ejus defectum suppleat pietas & misericordia tua. Misericordiam tuam implo-ro, & veniam postulo cum inviolabili proposito deinceps non peccandi, & studio virtutum sedulo incumbendi, te mihi vires ministrante, qui non deferis sperantes in te. Ne patiaris me diutius vagari post vanitatem vitæ hujus, transeunt enim dies & dies, anni & anni, & ecce nihil proficio. Convertere ergo & deprecabilis esto super me indignissimum servum tuum, & noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum: nam si ego commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti unde me salves, & recipias in gratiam tuam, Deus meus, adiutor meus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

§. VI.

Directio intentionis ante Missam.

Deus Cæli & terræ infinitè amabilis, & omnium bonorum fons indeficiens, ego N. omnium notarum miserrimus peccator, Ecclesiæ tuæ Minister indignissimus, ante thronum gloriæ

A a 3

gloriæ tuæ humi provolutus, quàm maximo possum amoris, reverentiæ, & devotionis affectu, volo & intendo hodie Sacrosanctum Missæ Sacrificium altissimæ Majestati tuæ, cui soli debetur, juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ offerre, & ex nunc offero, unâ cum omnibus sacrificiis tibi placitis, quotquot à principio mundi oblata sunt, & usque ad finem offerentur: simulquè pretium sanguinis, & cunctos labores ac cruciatus Redemptoris nostri, omnia merita Sanctissimæ & immaculatæ Genetricis ejus; omnium Sanctorum virtutes, totiusque militantis Ecclesiæ laudes & preces. In unione illius admirabilis sacrificii, quod idem Unigenitus tuus ultimâ Cœnâ instituit, & in Cruce consummavit factus Sacerdos suæ victimæ, & víctima sui Sacerdotii: affectu ac nomine ejusdem, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ, & omnium mecum quocumque modo offerentium: ex puro tui amorè ac desiderio tui beneplaciti semper & in omnibus perficiendi. Ad tuam maximam laudem, & cultum, & gloriam: in protestationem supremæ tuæ excellentiæ, Domini tui in omnes creaturas, & nostræ subjectionis & dependentiæ à te: in cultum patriæ tibi soli debitum, simul cum adorationibus tibi gratissimis ejusdem Christi Filii tui, B. Virginis omniumquè Angelorum & Sanctorum. In memoriam vitæ, passionis, & mortis præfati Domini nostri, & in obedientiam ejusdem mandati, quo præcepit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Ad honorem & augmentum gloriæ Deiparæ Virginis, omnium Angelorum & Sanctorum, eorum præsertim quorum hodie festivitas celebratur. In gratiarum actionem pro universis beneficiis tuis, quæ mihi indignissimo peccatori, cunctisque hominibus, & omni creaturæ conferre dignatus es. In propitiationem & satisfactionem pro peccatis totius mundi, & pro meis specialiter, de quibus doleo, quæque detestor & abominor super omne detestabile, quia tibi maximoperè displicent cum firmo proposito emendationis. Et quia hoc sacrificium vim impetratoriam infinitam habet, offero illud pro meis, & omnium viventium, ac defunctorum necessitatibus: & primò quidem fructum quem possum & debeo illi principaliter applico; pro quo celebrare intendo, & si fortè contingat eum non indigere, vel non esse capacem, opto & volo huic fructum ad N. derivari: cum applicatione Indulgentiarum mihi vel tali defuncto. Secundariò

autem sine ejus præjudicio, pro quo offerre primariò teneor vel intendo, offero pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro N. & N. pro tali gratia obrinenda, & pro cunctis viventibus atque defunctis, pro quibus me indignum famulum tuum legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas vivisque gratiam concedas tibi serviendi, & in amore tuo usquè in finem perseverandi. Amen.

S. VII.

Deprecatio pro omnium necessitatibus.

Memento Domine per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, quem pro nobis oblatum nunc denuò offero, per merita B. Virginis, & omnium Sanctorum, memento Ecclesiæ tuæ, Sponsæ tuæ, auge in ea puritatem fidei, & munditiem sanctitatis, & labore virorum Apostolicorum dilata eam toto orbe terrarum. Conserva eam quietam & tranquillam, & portæ inferi non prævaleant adversus eam. Hostium ejus elide superbiam; & gentes à fide alienas veritatis tuæ splendore collustra, ne pereant tot imagines tuæ, pro quibus pretiosus Filii tui sanguis effusus est. Da summo Pontifici nostro N. cor docile, da Spiritus Sancti abundantiam, ut populo sibi commisso verbo & exemplo præluceat. Intende oculos pietatis tuæ in universos Ecclesiæ Præsules & Pastores, & fac eos super gregem sibi commissum fideliter excubare. Adesto Parochis & Presbyteris, & omni Clero, ut nulli præbeant scandali occasionem, diligant puritatem, & ea sequantur quæ pacis sunt. Esto propitius omnibus Religiosis, quos separasti tibi in hæreditatem de universis populis terræ: da illis continuum in virtute profectum, votorumque ac regularum exactissimam observantiam. Da huic domui honorum temporalium sufficientiam, & spiritum excita in Prælati nostris, & in cunctis fervorem accende. Suscita in Ecclesia tua strenuos operarios, qui eam verbo fideliter pascant, & exemplo confirmet. Da eis rectam mentis intentionem, zeli sinceritatem, contemptum sui, animi robur, virtutis constantiam. Effunde miserationes tuas, Domine Princeps Regum terræ, in omnes Reges & Catholicos Principes, eisque tribue in obedientia Fidei & Ecclesiæ perseverantem

fac.

famulatum, subditorum curam, iustitiæ zelum, mutuam pacem, & observantiam mandatorum tuorum. Tuum etiam auxilium cunctis Magistratibus præbe, ut pacatâ gubernatione subiectos regant, te in omnibus iudiciis suis timeant, tibi que jugiter placere contentant. Da omni statui Ecclesiæ abundantiam gratiæ tuæ, ut unusquisque in ea vocatione, in qua vocatus est, tibi dignè & laudabiliter famuletur. Da Virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum: iustis perseverantiam, bonis ut meliores fiant, tepidis ut ferveant, malis & peccatoribus, qualem me dolens esse confiteor, ut convertantur. Conserva Cælum in salubritate, terram in fertilitate, fructus in maturitate, mundum in providentiâ omni ex parte sufficienti. Respice omnes ægrotos, afflictos, tentatos, agonizantes, & in aliquo periculo vel necessitate constitutos, & da illis auxilium, remedium, consolationem, prout expedit ad gloriam tuam, & illorum salutem. Supplex item oro te, benignissime Deus, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo: pro iis, qui me offenderunt, vel quos ego offendi aut scandalisavi, ut eis in omnibus beneficias, & pectora eorum sancto igne tuæ charitatis succendas. Miserere omnium pro quibus orare debeo, vel qui se commendaverunt indignis orationibus meis, omnium præcipuè consanguineorum, affinium, amicorum, & benefactorum meorum N. & N. Exaudi preces & vota ipsorum, & subveni eorundem ad te clamantium necessitatibus. Oro te quoque pro tali re & negotio N. N. ut felicem exitum sortiatur, si salutis nostræ profuturum esse cognoscis. Memento etiam Domine Rex æternæ, cui omnia vivunt, animarum omnium fidelium defunctorum, præsertim N. & N. super quas invocatum est nomen tuum. Extingue earum ardorem optato rore misericordiæ tuæ, & citò purgas in conspectu tuo admittite. Pro meipso tandem infelicissimo peccatore clementiam tuam humillimè imploro, ut per virtutem hujus Sacrificii universa peccata mea dimittas mihi, quæ multiplicata sunt super numerum arenæ maris. Audi sanguinem Filii tui altius clamantem quàm sanguis Abel, & in virtute hujus oblationis miserere servi tui, secundum magnam misericordiam

tuam. Dirige me in via tua, & doce me facere voluntatem tuam. Auge in me fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere, & amare caelestia. Posside me jugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus & ubique inveniam, donec per felicem mortem ad te merear pervenire. Amen.

S. VIII.

*Specialis oblatio Sacrificii quatenus est
Læviticum.*

Sancta Trinitas unus Deus, rerum omnium principium & finis, cujus potentia, sapientia, bonitas, & magnitudo incomprehensibilis est, toto corde & corpore prostratus adoro te; tibi que hodie sacrificium offerri intendo Corporis & Sanguinis Domini mei Jesu Christi purè propter te, ad majorem tui gloriam, in protestationem supremi dominii tui in omnes creaturas, & nostræ subjectionis ac omnimodæ dependentiæ à te: in recognitionem infinitæ tuæ perfectionis, beatitudinis & gloriæ, omniumque operum tuorum, quæ summoperè gaudeo à nulla creatura dignè posse aestimari, nisi à te Pater omnipotens, æternæ Deus, & ab Unigenito tuo Salvatore nostro, qui tecum & cum Spiritu Sancto unus est Deus, unus est Dominus: quem ideo tibi in Sacrificium laudis offero tuâ infinitâ maiestate dignissimum, in cultum patriæ tibi soli debitum, cum omnibus obsequiis, laudibus & adorationibus, quibus te olim glorificavit in terris: unâ cum meritis, laudibus, & adorationibus Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Angelorum, & Sanctorum. Quis enim ego sum vermiculus terræ, & opprobrium hominum, ut audeam faciem meam levare ad te, & aspicere altitudinem Cæli? Christi igitur Filii tui, & omnium electorum meritis onustus accedo ad te, eorumque nomine & affectu abjicio me corpore & spiritu ante thronum Divinitatis tuæ, ut intelligat universus orbis, me esse opus manuum tuarum, & tanquam nihilum ante te. O quàm gratum & jucundum mihi foret, per omnes undique regiones omnes homines videre in genua provolutos te adorare! Sed quia plerique te non cognoscunt, vel cognitum non venerantur, pro his quoque te adoro, requè humillimè deprecor, ut hanc oblationem Filii tui suscipere digneris in supplementum peccatorum & blasphemiarum

blasphemiaram, quibus periti mortales te offendunt, sive in terra, sive in inferno. Tibi gloria in secula. Amen.

S. I X.

• *Oblatio Sacrificii quatenus est Eucharisticum.*

Gratias ago tibi Domine Deus omnium bonorum fons & origo, pro maximis & innumerabilibus beneficiis tuis, pro quibus omnibus & singulis infinita tibi & interminabilis gratiarum actio singulis momentis temporis & aternitatis deberetur; sed quia minor sum sine ulla comparatione minimo beneficiorum tuorum, nec ulla creatura reperiri potest, quæ tuæ inexhaustæ bonitati dignas valeat referre gratias: Unigenitum Filium tuum tibi unice dilectum divinæ majestati tuæ in sacrificium eucharisticum humillimè offero, unà cum omnibus obsequiis, laudibus, & gratiarum actionibus ipsius ac Beatissimæ Matris ejus, omniumque Sanctorum & electorum tuorum. Specialiter autem gratias tibi hoc sacrificio persolvere intendo ex totis præcordiis meis propter magnam gloriam tuam, proque omni gaudio quod tu teipso beatus intra te percipis perenni & interminabili fruitione ex æterna generatione Filii tui; & à te atque ab eo processione Spiritus Sancti, & ex perfectionibus tuis, quarum non est numerus, & quas nemo comprehendere potest. Pro omnibus item misericordiis & mirabilibus tuis, quæ per Filium tuum extra te operatus es, & semper operaberis. Pro ejusdem Incarnatione, & pro inexhaustis sapientiæ, scientiæ, meritum, & gloriæ thesauris, quos in sanctissima ejus Humanitate abscondisti: proque illa singulari pietate, quæ eum mihi in Patrem, ac Doctorem; in Ducem ac Redemptorem concessisti; & pro omni fructu vitæ, passionis & mortis ejus. Pro immensis gratiarum opibus, quas Beatissimæ ejusdem Genitrici Virgini Mariæ contulisti, quam mihi quoque in parentem, advocatam, & protectricem largiri dignatus es: pro ejus electione, immaculata conceptione, admirabili maternitate, gloriosa in cælum assumptione, omnique gratia, & gloria, quæ illam in terra & in cælo honorificasti: & pro omnibus beneficiis, quæ ipsâ intercedente toti terrarum orbi, ejusque devotis clientibus contulisti & conferes in perpetuum. Pro innumerabilibus Angelorum exercitibus, quorum nu-

merum tu solus nosti, qui eos creasti prærogativis singularibus exornatos ad tui gloriam & nostrum subsidium. Pro eximiis donis, quibus Sanctos & electos tuos cumulasti, illos præsertim quos hodie S. Ecclesia veneratur, quorum meritis & doctrinâ ipsam Ecclesiam edificasti, hæreses & schismata contrivisti, & omnes fideles illuminasti. Pro maximo gratiarum munere, quibus eos reple, quos ad apicem perfectionis efficaciter trahis, & ad dulcissimam familiaritatem tuam admittis, pro inexplicabili patientia, quæ peccatores toleras, ad te invites, & auxilia illis necessaria suppeditas ut convertantur. Pro singulis beneficiis, quæ omnibus viatoribus, amicis & inimicis meis, fidelibus & infidelibus, cunctisque creaturis sensibilibus & insensibilibus contulisti. Pro gratis datis ad Ecclesiæ utilitatem, quas licet non omnes singulis dederis, dedisti tamen ut sint in omnibus, ut quod singuli in se non habent, in aliis habeant; spiritus enim tuus dividit singulis prout vult. Pro infinito amore, quo me prosequutus es, eligens me ante mundi constitutionem, ut sim sanctus & immaculatus in conspectu tuo: quodque tempore præfinito ex abyssu nihili eduxeris me, & nasci feceris in Ecclesia tua, extra quam non est salus. Quod me dono tuæ gratiæ per baptismum ditaveris, & animam meam præclarissimis virtutum habitibus exornaveris: quod perpetuò assististi mihi conservans me, & præservans à multis periculis & adversitatibus admirabili tuâ providentia: quod Angelum ad mei custodiam deputaveris, qui perpetuus cogitationum, & operationum mearum inspector est, dirigens me occultis inspirationibus ad salutem. Pro maxima misericordia, quæ me redemptum pretioso Sanguine Filii tui è sæculo nequam eripuisti, & cum in peccatis jacerem, excitasti illustratione tuâ, & vocasti in admirabile lumen tuum in locum sanctificationis, dissimulans peccata mea propter poenitentiam. Pro sublimissima Sacerdotii dignitate, ad quam me profusus immerentem evexisti: & pro multis præclarissimis donis naturæ & gratiæ, quæ mihi singulariter contulisti. Quod mihi tot media ad salutem, torque virtutis instrumenta suppeditaveris, quod toties me custodieris ne peccarem, occasiones subtrahens, & pravos sanans affectiones: quod, cum aliquando me tentari permisisti, vim tamen & fortitudinem resistendi misericorditer tribuere dignatus sis, præ-

veniens

veniens me in miserationibus tuis. Quod vestitum & vestitum, & alia necessaria ad decentiam status mihi copiose præbueris: quodque omnia propter me regere & conservare non desinas. Quod, ut validius me traheres ad te, aliquot mihi corporales ægritudines, angustias animi, & adversitates immisisti, ac mirabili vicissitudine consolationum & desolationum erudis me, ne in prosperis extollar, aut in adversis deficiam. Quod per viam mandatorum tuorum deduxeris me, dans scire, velle, & operari quod bonum est; ut per bona opera certam faciens, te adjuvante, vocationem meam præparatam electis tuis gloriam perficere in æternum. Hæc & alia multa fecisti mihi Domine. Deus meus, vita & dulcedo animæ meæ, de quibus optabile mihi foret semper loqui, semper cogitare, semper tibi gratias agere, sed imperfectum meum viderunt oculi tui. Quis enim ego sum filius iræ, & abyssus tenebrosa, ut tantis beneficiis par esse possim? Calicem igitur salutatis accipiam, & hoc tibi sacrificium pro me & omnibus immolabo, ut de perceptis hæc dignissimam victimam gratias exhibentes beneficia potiora sumamus. Amen.

S. X.

Oblatio Sacrificii quatenus est propitiatorium.

Procido coram te, Domine, cum tremore & rubore gravissimam onustus flagitiorum meorum sarcinam: nec mea solum, sed & totius populi peccata coram te porto, quia me pro omnibus legatione fungi iussisti, ut, quod illi pro se non possunt, ipse tanquam mediator meæ impetrare. Sed quâ fiducia pro culpis alienis intercessor veniam servus nequissimus innumerabilium scelerum reus, qui pro tot beneficiis à te susceptis, gravissimas tibi injurias & offensas retribui, bonitatem tuam contemnens, & justitiam vilipendens? Iniquitates meæ diviserunt inter me & te, & peccata mea absconderunt faciem tuam, ne exaudires. Verumtamen ecce revertor ad te dolens & moerens quod offenderim te: & quia nullum extat pretium, quo infinitæ bonitati tuæ offensæ condigne satisfacere valeamus; nisi pretium Sanguinis dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, ipsum tibi offero hostiam placationis

sufficiatissimam pro meis ac totius mundi peccatis, ut mihi, & N. N. atque omnibus peccatoribus veram contritionem concedas, meque & illos à reatu peccatorum misericorditer absolvas, per acerbissimam passionem & mortem ejusdem Filii tui, quem semel in Cruce oblatum nunc denuò offero. Ibi enim invenio meritorem ejus mare magnum & spatiosum, quo demergantur omnia peccata nostra: ibi infinitum satisfactionum thesaurum, quo omnia debita nostra remissione obtentâ expurgantur. Esto itaque placabilis super multitudinem iniquitatum nostrarum, & audi Sanguinem Filii tui clamantem ad te non vindictam, sed veniam & misericordiam. Attende Domine, & ignosce dolentibus & poenitentibus. Da gratiam emendationis, & in bono perseverantiam, & cantabimus laudes tuas in sæcula sæculorum. Amen.

S. XI.

Oblatio Sacrificii quatenus est impetratorium.

Quia inaccessibili tuâ pietate & misericordia, me indignissimum famulum tuum legatione fungi apud te voluisti pro omnibus hominibus, vivis & defunctis, offero tibi, clementissime Pater, hoc tremendum sacrificium, quod vim impetratoriam infinitam habet, pro singulorum necessitatibus & indigentis, ut per passionem & mortem Jesu Christi Salvatoris nostri, eorum voces & singultus misericorditer audire, & partem aliquam auxilii tui singulis largiri digneris. Attende itaque, & exaudi pro singulis deprecantem, nec avertas faciem tuam à me propter innumerabilia peccata mea, non enim in justificationibus meis, sed in persona Ecclesiæ tuæ, & tibi unice dilecti Filii tui ad te loqui præsumo. Miserere omnium quos fecisti, Domine, & reple eos scientiâ ac fide tua, ut lauderis cum hæreditate tua. Da omnibus fidem vivam, & ardentissimum in te amorem, & ne claudas ora canentium te. Effunde misericordiam tuam in gentes quæ te non noverunt, Turcas, Mauros, Idololatrias, Judæos, Hæreticos, Schismaticos, obscurâ nocte infidelitatis sepultos; vindica eos ab erroribus, & illuminata corda illorum, ut te cognoscant, &

B b Jesum

Jesum Christum, quem misisti. Dissipa consilia impiorum, ne quidquam officiant regno tuo; & propagationi gloriae tuae; & libera fideles tuos de manibus filiorum alienorum. Sanctifica Ecclesiam tuam, quam plantavit dextera tua: aufer ab ea omnia scandala, dissensiones & schismata; ut tandem aliquando fiat unum ovile, & unus Pastor. Da Summo Pontifici nostro, cunctisque Prælati, ut oves sibi commissas fideliter pascant fructu orationis, exemplo bonæ conversationis, verbo prædicationis, subsidio charitatis. Sit perpetua in illis oneris sibi impositi consideratio, & Sacerdotio fungantur sine reprehensione. Reforma omnes Ecclesiasticos ordines, ut & ipsi luceant coram hominibus, sicutque in eis virtutum decus, splendor sanctitatis. Reduc omnes Religiones ad fervorem & perfectionem, in qua fuerunt institutæ, da superioribus zelum disciplinæ, subditis obedientiam, ut professione suâ omnes digni inveniantur. Da prædicatoribus vocem virtutis, ut de cœno peccatorum quàm plurimos educant, & ad timorem & amorem tuum perducant. Illumina sapientiâ tuâ omnes Reges, & Principes, cunctosque Magistratus, ut subditis sibi populis justitiam fideliter administrent, pacem diligant, Ecclesiam venerentur, mandata tua custodiant, & de hostibus sanctæ fidei te protegente triumphant. Defende fideles tuos à fame, peste, & bello, à persecutionibus & calumniis, à cunctis periculis & adversitatibus, ab omni necessitate corporali & spirituali, ab omni angustia & calamitate: & illos adjuva quos affigi & tribulari permisisi, ut omnes sibi misericordiam tuam sentiant adfuisse. Ne finas eos labi, qui in periculo & occasione peccandi versantur: eosque conserva quos gratiæ tuæ preciosissimo munere locupletasti. Adesto agonizantibus, ut verâ contritione purgati & amore tuo succensî diaboli insidias evadant, & à damnatione perpetua liberentur. Memento tot miserabilium peccatorum, qui in foveam peccati mortalis infeliciter lapsi, sine ope tua iade emergere non possunt, & da illis auxilium efficac, ut surgant & respiscant. Omnibus item inimicis nostris charitatem & dulcedinem tuam benignus infunde; & libera nos à malorum insidiis. Da illis, quos ego offendi aut scandalizavi, veniam peccatorum & veram emendationem. Omnes autem amicos & benefactores, consanguineos & affines nostros illustra gratiâ tuâ, succende amore tuo, ut te solum quærant, te solum diligant, omnique

tempore opera illorum plena inveniantur in oculis tuis. Da huic Congregationi, ad quam me vocare dignatus es, bona spiritualia & temporalia, nosque & illa administra & dirige, ut cultus tuus & animarum salus hic semper vigeat, crescat, & perseveret. Custodi omnes mihi commissos & commendatos, & pro quibus orare debeo, præcipuè verò N: & N: rege, & salva eos juxta beneplacitum tuum, ut nemo ex illis pereat. Succurre omnibus, pro quibus me orare tu vis, & ego nescio: protege fervos tuos omnes, qui te maximè diligunt, quamvis eorum numerum & nomina ignorem; iustis autem tepidis & imperfectis auge fidem, spem, charitatem, auge fervorem, ut ad culmen perfectionis citò perveniant. Respice benignis oculis animas in Purgatorio detentas, illas præsertim, quæ suffragiis nostris magis indigent, & da illis requiem sempiternam. Mei denique memento omnium miserimi & indignissimi, qui gratiæ tuæ auxilio tantò majori præ cæteris egeo, quantò infirmior sum & impotentior. Extingue in me omnia terrena desideria, & ignem tui amoris accende. Dirige me in veritate tua, & da finalem perseverantiam, Per Christum Filium tuum, cui tecum & cum Spiritu Sancto est laus & honor in sæcula sæculorum. Amen.

S. X I I I

Actus diversarum virtutum ante Missam

F I D E I

Quis mihi det, suavissime Jesu, ut sub candido specierum Sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Quis mihi det, ut pateant mihi fontes saluberrimi quinque vulnerum tuorum, quæ oculis fidei in tuo corpore cerno, fontes aquarum viventium in ablutionem peccatricis animæ meæ? O venæ salientes in vitam æternam, effundite super me aquam gratiæ, quæ sitim meam satiet, ut gaudio repletus, & fide vivâ imbutus exclamen cum Thoma Apostolo, *Deus meus & Dominus meus*. Credo enim firmissimâ fide te in augustissimo Sacramento corporis & sanguinis tui verè præsentem esse Deum meum, & Dominum meum; & pro
hac

hac assertionem millies mori paratus sum. Credo, inquam; quod in hoc Sacramento corpus tuum gloriosissimum verè adest; Sole splendidius, electum ex millibus, cum ea integritate, pulchritudine, majestate, quâ in Cælo existit, & quâ nulla major concipi potest. Ibi dem est sanguis olim pro nostra omniumque salute effusus. Ibi est anima omni gratiâ & sapientiâ plena, in qua sunt omnes thesauri virtutum & scientiæ Dei. Ibi denique latet Divinitas tua, Verbum scilicet omnipotens, per quod Pater dicit omnia: & quia tu in Patre, & Pater in te est, adest etiam Pater te Verbum suum generans; adest & Spiritus Sanctus utriusque nexus & amor. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum, hoc summum prodigium, omnium creaturarum mentium captum excedens, hæc veritas infallibilis, quam te largiente per gladios & ignes profitebor.

S P E I.

In te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu; quia tu salus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quomodo enim auferem hoc tremendum Sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confidens accedo ad te, ut ovis morbida ad Pastorem, ut infirmus ad Medicum, ut reus morti obnoxius ad Advocatum; ut tu me foveas, protegas, corroboret, & faves. Abyssus nihili mei abyssum invocat bonitatis tuæ; nam licet peccata mea plurima & gravissima sint, ea tamen nihil sunt, quamvis plura & graviora forent, si cum misericordia tua, & pretio sanguinis tui conferantur. In ipso reposita est tota fiducia mea, & gaudeo quod nihil in me sit, in quo possim contidere. Miserere mei, & salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

C H A R I T A T I S.

Quanta vis amoris cor tuum succendit, amantissime Jesu, cum transurus de hoc mundo ad Patrem mensam parasti nobis habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis. Grande quidem fuit & admirabile opus amoris tui, quod naturam no-

stram assumere dignatus sis; sed longè præstantius & mirabilius est, quod corpus tuum in cibum, & sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Sic totum thesaurum gratiæ tuæ in nos effudisti, ut immensa hæc dilectione præventi amoris vicem tibi rependere totis viribus satagamus. Amo itaque te unicum meum solatium in hoc exilio; unica spes languentis animæ, unica mea felicitas, & summum bonum quo in terra frui licet. Amo te toto corde, totâ mente, totâ virtute: atque utinam omni momento te ferventius semper amarem! Hoc est ardens desiderium meum, huc feruntur gemitus mei, & suspiria cordis mei. Ad te enim trahis omnes vires animæ meæ, dum te ipsum transfundis in me: dum, quantum fieri potest, me similem tui facis: dum esuriens animam meam non cibo aliquo terreno, sed pretioso corpore & sanguine nutris, satias, & saginas. Pro hæc tua ineffabili largitate amo te, Deus meus, & nunquam cessem amare te, amorem meum te ipso inflamma, qui esca & pabulum amoris es. O ignis jugiter ardens, & nunquam deficiens, ure renes meos & cor meum, ut ardeant amore tui. Ignem venisti mittere in terram, accende illum & eventila, ut semper crescat. Te enim amabo, si amandi vires præbueris, & eò amplius amabo, quò uberiorem amandi gratiam infuderis: nunquam tamen te amabo, ut dignus es.

D E S I D E R I I.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Salvator meus Domine Jesu: desiderat, inquam, anima mea accedere ad te, teque offerre Deo Patri, ac de fontibus salvationis tuæ vinum lætificans in gaudium haurire. Sitio enim Domine, lassatus in via iniquitatis, sitio te Deum meum venam aquarum viventium, sitio sanguinem tuum, quem mihi in potum mirabiliter tribuisti. Ad te venio, & clamo post te, liberator meus, esuriens & sitiens: miserere mei Fili David, & da mihi panem tuum, da vinum quod miscuisti, ut refocilletur anima mea. Atque utinam possem omnium Sanctorum affectus & inflammata desideria habere, teque semper sitire fontem vitæ, fontem sapientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis.

Utinam te semper esuriat cor meum panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum; & dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Renuit consolari anima mea, donec suscipiam te omne bonum meum, Domine Jesu, quem solum ardentissimè concupisco cum omni affectu & devotione omnium electorum tuorum tecum epulantium in mensa tua, quorum divitias offero tibi in supplementum inopiæ meæ. Esto tu solus gaudium meum, tranquillitas mea, refectio mea, & thesaurus meus, in quo mens mea quiescat. Nihil desiderem extra te, & omnia mihi vilescant præter te, Deus meus dulcedo mea, & unicum centrum cordis mei!

G R A T I T U D I N I S.

Quis sum ego, bonitas infinita, ut me sacris Altaribus altare volueris, tibi que offerre de donis tuis sanctum sacrificium, hostiam immaculatam? Unde inveni hanc gratiam in oculis tuis, ut ostenderes in me divitias misericordiæ tuæ? Venite & audite omnes Angeli & Sancti Dei, & narrabo vobis, quanta fecit Dominus animæ meæ. Nam cum essem abjectus in domo mea, de pulvere erexit me, & constituit me cum Principibus populi sui ut comederem panem & biberem vinum in mensa sua omnibus diebus vitæ meæ. Quas ergo tibi gratias agam, Clementissime Jesu, Salvator Mundi, aut quid retribuam tibi pro omnibus quæ tribuisti mihi? Verè enim de te sponso Ecclesiæ illud Cantorum intelligitur. *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tu omnia quæ habes mihi largitus es, corpus, sanguinem, animam, & divinitatem tuam: & si ego tribuam tibi omnem substantiam domus meæ, corpus, animam, & libertatem cum omnibus, quæ nunc habeo vel habere possum, hoc quasi nihilum reputabitur comparatione immensi, & inestimabilis doni tui. Tantum tibi debeo, quantum ipse vales, qui infinitus es: quare debitum meum omnem meam facultatem excedit. Audeo tamen rogare te, quia benignus, & misericors es, & tu nosti pauperitatem meam, audeo rogare te, ne despicias munusculum, quod tibi offero in simplicitate cordis mei dicens cum sponsa, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Nam sicut tu totum te mihi tradidisti in nutrimentum animæ meæ; ita ego me totum servituti tuæ

confecro, & quidquid habeo, quidquid sum; quidquid possum, tibi penitus trado, ut me totum tibi vendices, nec quicquam mei mihi patiaris superesse.

T I M O R I S.

Ad mensam convivii tui à te vocatus & invitatus, Domine Jesu, summum bonum meum & felicitas sempiterna, parere quidem vocanti vellem; teque amanter & devotè suscipere; sed contremisco valdè, cum meam intueor sceditatem, contremisco à voce Apostoli tui dicentis: Si quis manducaverit panem hunc & biberit calicem Domini indignè; reus erit corporis & sanguinis Domini. Mira enim res est, & portento simillima. Pascor cælesti Pane, quo saturari possunt infiniti mundi: potor præclarissimo vino, quo ardentissima Angelorum sitis extinguitur; & fame ac siti aresco: omne Cæli gaudium intus fero, & terræ illecebris irretiri non desino, vanaque solatia à creaturis emendico: ad Deum excelsum, fontem omnium bonorum quotidie accedo, & sub specie panis & vini ipsam quotidie sumo; & non solum non rapior cum Paulo in tertium Cælum, sed terræ totus adhareo, omnisque mea sollicitudo terræ famulatur & corpori, nulla Cælo. Hæc sunt angustia, quæ me undique premunt, hæc consternatio mea magna nimis. Vereor enim, ne, quod in salutem constituisti, in iudicium & condemnationem accipiam. Nunquid ergo fugiam à facie tua cum impio Cain, aut abscondam me cum Adamo, eò quod nudus sum, & audierim vocem tuam? Absit. Scio enim, quia major est misericordia tua, quàm miseria mea: major est clementia tua, quàm iniquitas mea. Si scædus, si infirmus, si nudus sum, tu me potes mundare, sanare, vestire. Ad te igitur cum timore & tremore confugio, ut me vestias, sanes, & purifices. Abstrahere cor meum à cæteris omnibus extra te, in quibus nihil est nisi vanitas & afflictio spiritus. Sentiatur mens mea dulcedinem præsentia tuæ: gustet quàm suavis es, ut amore tuo capta nihil quaerat extra te, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

H U M I-

HUMILITATIS.

Immense, tremende, potentissime, & incomprehensibilis Deus, quis es tu, & quis sum ego, ut digneris venire ad me, & cum epulari, & mansionem apud me facere? Heu quanta est dignatio tua, quanta miseria & ingratitude mea? Tu Rex Regum, & Dominus dominantium, qui respicis terram, & facis eam tremere: tu fons sanctitatis, coram quo Angeli non sunt puri: tu Sol claritatis aeternae, qui lucem habitas inaccessibilem: ego verò animal immundum, omnium calamitatum ludibrio expositum, insanis perturbationum motibus agitarum: omni vanitati subiectum, vas contumeliae, filius irae, & tenebrarum. Et quomodo potest lucis tuae ad tenebras meas esse conventio? Quomodo praesumam ad te accedere vermiculus terrae, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? Quam fiduciam coram te apparebo, iustissime Iudex, ante cuius conspectum columnae Caeli contremiscunt? Longè enim recessi à te, qui tamen ubique es, & miserabilis anima mea, quam tibi in baptismo desponsaveras, fornicata est cum amatoribus multis, te repudians Creatorem & Redemptorem, ut fallacibus creaturis adhereret. Tu me segregasti ex utero matris meae, & vocasti per gratiam tuam, ut lucerem coram hominibus doctriinae & vitae splendore: ego verò in tenebris vixi, non sapiens quae tua sunt, sed quae super terram. Tu parasti mihi mensam in dulcedine tua, & suspiravi ad ollas carniarum Aegypti. Tu potasti me sanguine tuo, & converti me ad poculum Babylonis. Veruntamen ego loquar ad te, cum sim pulvis & cinis. Respice servum tuum, & suscipe me, quem tam amanter invitasti ad te. Jam enim cognovi, quia sine te nihil sum, nihil possum: & extra te non est salus nec vita. Projice ergo post tergum tuum omnia peccata mea, & amplectere me, quamvis indignissimum gratiam tuam, ad te revertentem, juxta verbum Prophetæ tui dicentis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

S. XIII.

Commemoratio Dominica Passionis ante Missam.

Sæpè dictum est, in hoc incruento Sacrificio cruentum illud, quod semel in Cruce peractum est, non verbis, sed reipsa representari: una siquidem & eadem est hostia, idem qui per Sacerdotis ministerium offert, idem Christus qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eò quod mortuus censetur in figuris animalium, quae in ipso memoriae maerabantur: ita non immeritò eundem vocare possumus Agnum, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirum suae mortis representatione, quae duratura est, donec mundus durabit. Ideò Sancti Patres mortis Christi memoriam hoc Sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Hoc ipsum autem idem Salvator noster praecipit, cum instituto hoc Sacramento ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Quae verba Seraphicus Doctor sollicitè expendens libro de puritate conscientiae, cap. 9. existimat Sacerdotem nullatenus debere Missae Sacrificium celebrare, quin prius Passionem & mortem Domini commemoret. Id. inquit, quod pro meipso retineo, est verbum illius, qui hoc Sacramentum instituit, quem non credo illud frustra protulisse. Dixit enim, *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Ex quo quidem verbo arguo mihi ipsi, quod quoties volo id agere quod ipse instituit, & modo praedicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiae ac praesudicio animae ad illud posse accedere, nisi praememorata ipsius instituentis charitate, ac ejus passione & morte, in cuius memoriam perpetuò recolendam, illud Sacramentum debere confici & percipi ipse praeclare asseruit & injunxit. Sacerdos itaque, cum ad Sacrum faciendum se praeparat, fasciculum sibi colligat ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini, & inter ubera sua collocet, cordisque medullis inserat, mente & affectu sedulò revolvens omnia tormenta, quae ille pro salute nostra perpessus est. Hæc frequenter in ore, hæc semper in corde habeat: & hæc sit ejus sublimior Philosophia, scire Christum, & hunc crucifixum. Cum verò ad Altare accessurus est, sic oret ex toto corde.

O R A T I O .

Memoriâ memor ero, clementissime Pater, & tabescet in me anima mea: omniumque dolorum & passionum, atque acerbissimæ mortis Filii tui Domini mei Jesu Christi cum gemitibus & lacrymis recordabor, quia ipse salus & vita mea ante oculos meos pependit in ligno; offerens se tibi in holocaustum pro mea & totius mundi salute. Hanc autem oblationem vivam, quam tu misisti in miseratione multa ad altare crucis immolandam pro nobis, hanc eandem tibi nunc offero, passionem ejus & mortem recolens ac repræsentans: sicut ipse præcepit, cum dixit, ut idem in ejus commemorationem faceremus. Recordare itaque humilitatis ejus, patientiæ, charitatis, mansuetudinis, & obedientiæ. Respice labores ejus, jejunia, contemptus, contumelias, vincula, irrisiones, & iniquam condemnationem. Respice in faciem Christi tui, & intueri speciosum formâ præ filiis hominum, opprobriis, injuriis, verberibus, livoribus, contusionibus ita deformatum, ut non sit ei species, neque decor. Vide caput nobilissimum spinarum punctationibus transfossum, & percussionebus attritum. Vide genas modestissimas sputis fœdatis, alapis cætas, sanguine cruentatas. Vide oculos benignissimos lacrymis perfusos, & ad ignominiam velatos. Vide os suavissimum siti ardentissimâ cruciatum, & felle atque aceto potatum. Vide dorsum, supra quod fabricaverunt peccatores, verberibus dilaniatum, & humeros Crucis pondere oppressos. Vide brachia amabilissima funibus devincta, & in Cruce crudeliter extensa. Vide manus innocentissimas durissimis clavis perforatas. Vide pedes delicatos tot itineribus defatigatos, ac Cruce tandem affixos. Vide corpus venerabile pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Vide sanguinem pretiosissimum usque ad minimam guttam pro nostra salute misericorditer effusum. Hæc enim tibi offero & repræsentato, omni quo possum devotionis affectu suppliciter orans, ut ipsa pietas, quâ Filium tuum pro nobis tradidisti, te omnibus misereri compellat, pro quibus ille factus obediens usque ad mortem, crucem subire dignatus est, Amen.

§. XIV.

Oratio ante Missam ad Patrem.

Respice, Clementissime Pater, de sanctuario tuo, & de excelsò cælorum habitaculo, & intueri hanc immaculatam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus, Filius tuus Salvator mundi pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ, quia vox sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. Hic est justitia mea, & sanctificatio, ac propitiatio mea. Averte faciem tuam à peccatis meis, & respice in faciem Christi tui: ejus enim meritum offero ad te, omnemque fiduciam in eo defixam habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscientia indebiti Sacerdotii. Sed rogo te, ne despicias mihi creditæ dispensationis officium; licet in me boni operis testimonium non agnoscas. Et quia me indignum mediatorem esse voluisti inter te & populum tuum, ne me repellas à tua pietate cum divinis donis tuis venientem ad te, ut inculpate accedens ad gloriam tuam, dignus sim qui operiar protectione Unigeniti Filii tui, & illuminatione Spiritus Sancti tui, atque pro omnibus deprecans pro omnibus exaudiar, te præstante, Deus meus, Pater misericordiarum, qui cum eodem Filio tuo in unitate ejusdem Spiritus Sancti vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

§. XV.

Oratio ante Missam ad Dominum Jesum Christum.

Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro ineffabili tua charitate, quâ transiturus de hoc mundo ad Patrem mensam mihi parasti in dulcedine tuâ, mensam proorsu regalem, omne delectamentum in se habentem; mensam pretiosissimam corporis & sanguinis tui, ut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & secreto illapso nutritionis tuæ roboretur infirmitas mea. Et unde hoc mihi, Gloriosissime Fili Dei, ut me permittas venire ad te, & cum cæteris commensalibus tuis epulari? Atque utinam ab omni culpa liber, purus ab omni labe, ab omni vitio purgatus, & ab omni

mi inordinata affectione perfectè emendatus essem, ut ad hanc mensam supercælestem accedere possem fervens charitate, niveus innocentia, & omnium virtutum decore exornatus. Sed quia miserimus ego sum, & omni ornamento destitutus, obsecro te inprimis benignissime Salvator, cujus charitas immensa est, bonitas infinita, ut sanguine tuo animam meam lavare, & super nivem dealbare, meritis tuis induere, illoque igne ardentissimi amoris succendere digneris, qui te nobis discensurum compulit ad hoc vivificum convivium institutum. Obsecro deinde Beatissimam Virginem Matrem tuam, & omnes electos tuos, ut tibi pro me offerant charitatem, fidem & devotionem, quâ hoc Sacramentum susceperunt ab initio institutionis ejus usque in præsentem diem. Et quia particeps ego sum omnium timentium te, offero tibi omnium Sacerdotum, omniumque fidelium hac die celebrantium & communicantium pietatem & puritatem. Offero omnium justorum ab origine mundi usque ad ejus consumptionem virtutes & merita, ac pios affectus erga te, dulcissime Jesu, in Venerabili Sacramento existentem: firmissimam nimirum fidei, & vivæ apprehensionis earum rerum, quæ de hoc maximo mysterio credendæ sunt: perfectissimam charitatis, & intimæ tecum familiaritatis: famis & flagrantissimi desiderii te omne bonum suscipiendi, filialis fiduciae & spei de tua misericordia tam mirabili modo declarata: zeli divinæ gloriæ & dilectionis proximi, pro cujus salute hoc sacrificium offertur: admirationis tantæ dignationis, & profundissimæ humilitatis: gaudii & jubili in te & de te: laudis, gratitudinis, adorationis, & devotionis. Hos inquam, aliosque affectus offero tibi in supplementum insufficientiæ meæ, & eos, si possem, elicere cum maxima intentione ad laudem & gloriam tuam quia dignus es. Suscipe Domine, hoc desiderium meum, meritisque placatus electorum tuorum, ne à mensa tua repellas me, quatenus hoc cibo satiatus, hoc recreatus potu vitam habeam, & abundantius habeam, hic & in æternum, Amen.

§. XVI.

Alia oratio ad eundem.

Veni, domine Jesu, unica salus animæ meæ, & infunde peccatori meo multitudinem dul-

cedinis tuæ, ut nihil amem, nihil desiderem præter te. Veni gaudium & felicitas mea, veni spes & robur meum, quia tecum sunt divitiæ & gloria, tu vita & consolatio mea, tu paradysus voluptatis. Atque utinam te veniente ad me, vertantur mihi in amaritudinem omnes mundi deliciae, ut tibi unitus in hoc cælesti convivio à te nunquam separet in æternum. Frustra expenderem argentum meum in panibus, & laborem meum in saturitate, licet omnes Ægypti escas compararem, si carerem hoc pane, qui præbet delicias Regibus, & vino tuo destitutus essem, cujus suavitas in infinitum excedit omnia hujus sæculi oblectamenta. Et unde mihi tantum bonum, ut tecum epulari merear, Rex tremendæ Majestatis, ego indignissimus servus tuus, qui quotidie pecco & incorrigibilis persevero? Sed major est in infinitum misericordia tua, quàm miseria mea: & tu dulcissima refectio mea me in virum alterum transformas, & verbo virtutis tuæ sanas omnes languores meos. Ad te igitur venio de tua pietate confusus, & in te sperans non confundar. Lætifica animam servi tui, & supple quod mihi deest, tu benignissime Salvator, qui omnes ad te vocare dignatus es dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Refice me teipso, quia in te sunt omnes cæli deliciae ex copiosissimo flumine gaudiorum Dei cum tanta plenitudine emanantes, ut omnes dignè ad te accedentes inexplicabili lætitiâ replere possim. Uni intimè tecum animam meam, & fac me dignum, ut huic mensæ supercælesti cum debito virtutum ornatu affideam, & dulcedine perfruar præsentis Divinitatis. Amen.

§. XVII.

Oratio ad Spiritum Sanctum.

Veni Sancte Spiritus, amor Patris & Filii, mundator scelerum, curator vulnerum, fortitudo fragilium, merentium consolator, fulgor intellectus, & vindex libertatis. Veni è patria felicitatis, & cordis mei penetralibus tam potenter illabere, ut vitia omnia & defectus tuo igne consumas, & omnia peccata mea remittas. Emitte in animam meam lucis tuæ radium, quo illuminante intellectum, quæ tibi sunt placita videam: quo affectum inflammante

te ad eâ prosequenda totâ virtute incumbam. Fac me dignum sacris Altaribus Ministrum, meque torrente tuâ voluptatis inebria, ut cælesti suavitate in hac divinissima mensa degustatâ, nihil venenatæ mundi dulcedinis libeat amplius degustare. Imbuat me, & perficiat septiformis Spiritus tuus, & ad illum scientiæ gradum fac me pertingere, ad quem pervenit Apostolus tuus, cum dicebat se nihil scire, nisi Christum, & hunc crucifixum. Roboretur infirmitas mea fortitudine tuâ, vincat bonitas tua malitiam meam, & deformitas mea tuâ pulchritudine decoretur. Sursum erige me per æternorum affectionem, copula tecum per amoris unitatem, conserva per finalem perseverantiam; ut tuo ductu revolet anima mea ad te principium & finem suum, à quo nunquam separetur. Amen.

§. XVIII.

Oratio ad B. Virginem.

Gloriosissima Mater Dei Virgo Maria, tota fiducia mea, & unicum solatium languentis animæ meæ, precor te, ut mihi miserrimo peccatori assistere hâc horâ digneris, quia pretiosissimum Filii tui Corpus & sanguinem æterno Patri oblaturus sum, sicut amans & dolens eidem Filio tuo in Cruce pendenti, & se pro nostra salute offerenti assististi. Ne me despicias, Mater misericordiæ, ob intolerabilem peccatorum meorum sceditatem; neque avertas faciem tuam à me, quem Filius tuus tanto amore dilexit, ut pro me mori dignatus sit. Plena es gratiarum, plena rore cælesti, innixa super dilectum tuum, deliciis affluens. Ciba ergo pauperem tuum de superfluenti mensa tua, tuarumque virtutum vestibus indue me, ut his ornatus divino conspectui gratus appaream. Memento illius charitatis, qua Verbum Dei ex te carnem assumpsit, ut tu fieres Mater nostra. Aperi manum tuam, & imple me benedictionibus, quibus te Deus benedixit in æternum, ut te interveniente tremenda mysteria acceptabiliter perficere, & Sancta Sanctorum dignè merear degustare.

§. XIX.

Oratio ad Sanctos Angelos.

Sancti Angeli, purissimi spiritus, ministri Dei Altissimi, qui facitis voluntatem ejus & orantium preces in Cælum desertis: Tuque præcipue fidelissime Custos meus, stete mecum juxta Aram, in qua Deo Patri totius mundi pretium oblaturus sum, & in vestris thuribus incensum orationum mearum suscipite, ut fumus aromatum hujus divini Sacrificii ascendat per manus vestras in conspectu Dei. Purgate, illuminate, perficite, & dirigite me, vestramque puritatem & innocentiam impetrate mihi, ut appaream coram Deo decenter ornatus.

Sancti Archangeli, Duces illustrissimi militiæ cælestis, instruite me, ut hæc sancta mysteria percipiam, fidemque vivam & efficacem hujus Sacramenti in me excitate.

Altissimi Principatus, terâ pace internâ animam meam componite, ut in ea jugiter commoretur Dominus, de quo scriptum est, *Et factus est in pace locus ejus.*

Sanctissimæ Virtutes assistite mihi, ut proficiens de virtute in virtutem Deum Deorum dignus sim oculo fidei cernere, manibus contrectare, intus recipere, ac tandem in patria clarè vobiscum intueri.

Invictissimæ Potestates dæmonum impetus cohibete, ne mihi appropinquent sacrificanti, ut sine impedimento dignè merear Deo servire, & ministrare. Potentissimæ Dominationes veram mihi & sanctam libertatem obtinete, ut nec peccato serviam, nec corporis mei appetitui, & sensibus subdar. Throni stabiles & sublimes, sedes pulcherrimæ Dei, discam à vobis veram humilitatem & subjectionem, ut fiat anima mea gratissimum domicilium Deo, qui superbis resistit, & super humilem & quietum requiescit.

Clarissima & nobilissima cæli lumina Cherubim, illustrate mentem meam plenitudine scientiæ, ut summam utilitatem meam, hujusque sacrificii infinitam excellentiam agnoscam.

Supremi spiritus Seraphim, ardentissimi amatores Dei, solvite gelu cordis mei, & vestrum in eo ignem succendite, ut Deum vobiscum ardentè amem, atque utinam sicut vos.

§. XX.

§. XX.

Invocatio omnium Sanctorum.

Sancti Dei omnes, cives supernæ patriæ, inclinate aures vestras & demittite lumina ad me, meamque orationem exaudite. Ad vos clamo pauper, nudus, & infirmus, cui omnia desunt ornamenta virtutum: ad vos clamo, & vestram imploro benignitatem; succurrite infirmitati meæ, fidem meam & spem roborate, excitate in me igniculum amoris vestri, induite me veste nuptiali, ornate donis, quibus abundatis, ut sine rubore introire valeam in locum tabernaculi admirabilis, in aulam cælestis convivi, in conspectu divinæ majestatis.

Sancti Patriarchæ & Prophetæ, qui Christum Dominum nostrum dictis prophetastis, & ardentissimis desideriiis è cælo ad terram traxistis, hujusque Sacramenti mysteria variis typis & umbris præfigurastis, preces fundite pro me, ut ipsum Dei Filium sanctè tractare possim, & puro corde complecti.

Sancti Apostoli, quos Christus in ultima cæna novi Testamenti Sacerdotes creavit, ac primum seipso cibavit, vos suppliciter exoro, ut vestrâ adjutus ope gratiam non negligam per manuum impositionem mihi collatam, sed magno quotidie augeam incremento.

Sancti Martyres, qui Christo Regi pro nobis crucifixo vicem, quam potuistis, vitæ oblatione per martyrium rependistis, ipsum pro me orate, ut ignem sui amoris accendat in corde meo, quo succensus & purificatus meipsum mactem Deo hostiam vivam & ei placentem; sicque paratus & probatus ad hoc divinum sacrificium accedam.

Sancti Pontifices & Confessores, mysteriorum Dei fidelissimi dispensatores, qui hostiam placationis frequenter pro populo obtulistis; pro me obsecro intercedite, ut meum quod oblaturus sum sacrificium Deo sit acceptabile, mihi que & omnibus, pro quibus illud offeram, propitiabile.

Sancti Monachi & Eremitæ, qui cibo potuque cælesti sæpius refecti pravas concupiscentias, & vitæ hujus pericula superastis, adjuvate me orationibus vestris, ut sacris hisce mysteriis armatus meipsum vincam, & omnes inimicos animæ meæ conteram sub pedibus meis.

Sanctæ Virgines Deo amabiles, quæ studio castitatis dignum in vobis Filio Dei habitaculum

præparastis, & nunc in cælo canticum novum concinitis, quod nemo potest dicere, nisi fuerit Virginitatis prærogativâ eximius, impetrate mihi perfectissimam castitatem, quâ corpus & animam in omni puritate contineam, ut Christo Domino, qui pascitur inter lilia, gratum in corde meo exhibeam domicilium.

Sancti mei tutelares N.N. & vos Sancti N.N. quorum hodie memoriam veneramur, vestro confisus patrocinio atcedo nunc ad immolandum corpus & sanguinem Jesu Christi Domini nostri, comitamini me euntem ad altare, fulcite meritis vestris, ornate virtutibus, ut hoc sacrificium vivâ fide, ferventi charitate, & plenâ devotione perficiam, perque ejus continuum & salutiferum usum vestro dignus confortio tandem inveniar. Amen.

CAPUT V.

De Missæ celebratione.

§. I.

De proxima dispositione ad Missam.

Pervulgatum apud sanctos Patres axioma est, quod talem se animæ exhibet Deus, qualem se illa præparat Deo. Ideò Christus in Eucharistia aliis quidem est fructus vitæ, Panis Angelorum, Manna absconditum, Paradisus deliciarum, ignis consumens, & tertium Cælum, in quo audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui. Aliis verò est panis insipidus, omni carens dulcedine, & vitali operatione, & nausæat anima eorum super cibo isto: quia nimirum mors est malis, vita bonis; & sicut quisque erga Deum affectus est, talem ipsum erga se experitur. Pauci sunt, qui admirabiles hujus sacri convivi in se sentiant effectus, quia pauci sunt, qui se ad illos recipiendos ritè disponant; qui seriò cogitent, se ad Sancta Sanctorum accedere, ad Altare Dei, ad Deum ipsum. Ideò multi infirmi sunt & imbecilles, & dormiunt multi. Mortem olim summo Sacerdoti minabatur Deus, si ausus fuisset introire in Sancta Sanctorum sine strepitu tintinnabulorum, non radians gemmis, non fulgens auro, omniumque virtutum varietate circumamictus. Quam ergò poenam merebitur novæ Legis Sacerdos, qui non ad Arcam typicam, sed ad Deum ipsum accedit, ut Filium ejus Dominum Jesum Christum immolet,

C c

tan-